

adimplentur conditiones, sub quibus, & non aliàs erat facta resignatio, resignatio suum effectum in persona resignatarii non consequitur, sed evanescit actus in radice, ac si nunquam fuisset initus: ideoque etiam non subintrat necessitas publicationis, ex quo non entis nullæ sunt qualitates. Rota in recent. part. 9. decis. 90. num. 10. & seqq.

23 Nec refert, an conditiones illæ, sub quibus & non aliàs intenta erat resignatio, con-

tineant in se aliquod simoniacum, puta reservationem certæ pensionis, alteriusve temporalis: quoniam, si resignatio (velut hic supponitur) fiat in manus Papæ, & conditiones appositæ referantur ad beneplacitum Apostolicum cum clausula & non aliàs, nulla committitur simonia, cum versemur in tali materia, in qua S. Pontifex saltem indirectè dispensare potest. cit. Card. n. ult. & disc. 36. à n. 22.



SUPPLEMENTUM
AD
TRACTATUM IV.
DE
POTESTATE ORDINIS.

CAPUT I.

*De Natura, Origine, & Diversitate Potestatis
Ordinis.*

SUMMARI A.

1. Prima tonsura non est Ordo Sacramentalis. 2. & seqq. Obijciuntur varii textus. 8. & 9. Resp. ad cap. 11. de Æt. & qual. præfic. 10. Ad cap. 1. Dist. 21. 11. Ad Concil. Trident. 12. & 13. Ad Bullam Sixtin. 14. Ad Pontificale Romanum. 15. Ad rationem.

16. Sacerdotium est Sacramentum. 17. De Episcopatu remissivè. 18. & seqq. Etiam Diaconatus & Sub-Diaconatus est Sacramentum. 21. & seqq. De Minoribus Ordinibus idem quoque asseritur. 25. Declaratur, quæ ratione Ordo sit unum Sacramentum.

QUÆSTIO I.

An prima tonsura sit Ordo?

1 **M**aneo in mea distinctione, datâ in hoc cap. n. 38. & seq. ubi non aliter primam tonsuram inter Ordines referendam asserui, ac quatenus dicit statum, aut certam vivendi rationem, aut gradum & excellentiam.

2 Inter Recentiores, qui oppositum tenent, P. Pichler ad tit. de Tempor. Ordin. pro prima tonsura, quod sit Ordo Sacramentalis, objicit I. cap. cum contingat 11. de Æt. & qual. præfic. ubi Innocentius III. ad præviam interrogationem, an Abbates, conferendò primam tonsuram, conferant Clericis Ordinem? respondit, quod conferatur; utique non intelligens Ordinem Clericalem improprie talem, de quo nemo dubitavit; sed verum & Sacramentalem: utpote cum verba Pontificis, decisivè loquentis, non sint improprianda. II. cap. clericos 1. Dist. 21. cap.

non oportet 2. Dist. 44. cap. si quis Episcopus 6. XXVII. quæst. 1. ubi psalmistæ, cujus generis censentur primâ tonsurâ initiati, numerantur inter Clericos & ordinatos. III. Concil. Trident. sess. 21. de ref. cap. 1. ubi pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonsura, prohibetur quidquam accipi. IV. Bullam Sixti V. quæ incipit Sanctum, editam anno 1589. non. Jan. in verb. ad suscipiendum clericalem characterem, aliòve Ordines. V. Pontificale Romanum, quod in tit. de Ordinib. conferend. adhibet hæc verba: pro Clericis ordinandis parentur forfices pro incidendis capillis &c. VI. quia in prima tonsura cernitur specialis materia, puta vestis alba seu superpelliceum & raso capillorum; item particularis forma, consistens in verbis: induas te Dominus &c. vel oremus Dominum nostrum JESUM Christum &c.

sum &c. item particularis potestas ad certum ministerium sacrum, ad cantandos psalmos, lectiones, & responsoria &c.

8 Ut verò compertum sit, relatîs objectionibus non infringi distinctionem nostram, ad singulas devenio, & Resp. ad I. Innocentium III. nequaquam definiisse, aut definite voluisse, quod prima tonsura sit Ordo Sacramentalis: quæsitus enim ab Archi-Episcopo Rothomagensi, an Laicis, ad Monasteria convolantibus, clericalis ordo conferatur, quando à suis Abbatibus tonsurantur? Respondit, utique clericalem ordinem conferri, si Abbates, existentes in Ordine Sacerdotii, & ab Episcopo benedicti, juxta formam, ab Ecclesia præscriptam, ejusmodi Laicis tonsuram impertiantur. Hic verò nec verbum occurrit de Ordine Sacramentali, sed clericali duotaxat, qui solummodò denotat gradum seu statum clericalem, ad quem Laici, tonsurâ insigniti, elevantur. Voluit namque Pontifex indicare, primam tonsuram operari eundem effectum, sive conferatur, ab Episcopo, sive ab Abbate Sacerdote, & benedicto, qui ex privilegio, clausò in Corpore Juris, facultatem habet, Regularibus sibi subditis primam tonsuram & Ordines Minores impertiendi.

9 Resp. ad II. tonsuratos, si cum psalmistis æquiparentur, tam parum inter ordinatos Ordine Sacramentali recenseri posse, quàm parum psallendi munus, solitariè consideratum, ad dignitatem Sacramenti ascendit: psallere siquidem, aut psalmos cantare officium est, non solum Clericis, sed etiam Laicis conveniens, velut inter alia constat ex cap. presbyter 1. de Celebrat. Missar. ubi statutum legitur, quod Presbyteri seu Parochi diligenter horas Canonicas horis competentibus juxta possibilitatem aut à se, aut scholaribus suis publice complere teneantur.

11 Resp. ad III. quod, si Concil. Tridentinum sub termino generali quorumcumque Ordinum voluisset comprehendere primam tonsuram, non opus fuisset speciali mentione & extensione etiam clericalis tonsura. Adeòque ma-

gis indigitare voluit, sub nomine Ordinum non intelligi primam tonsuram, quam ideò cum particula augmentativa etiam Ordinibus subjunxit, quia materia, ibidem tractata, nempe collatio Ordinum, gratis facienda, videtur æquè adaptari primæ tonsuræ, quatenus ex tot. tit. de Simonia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur vel promittatur, constat, nihil temporale pro similibus functionibus spiritualibus dari vel recipi posse.

Ad IV. Resp. in Bulla Sixtina per clericalem characterem non denotari characterem Sacramentalem, animò Divinitus impressum (de hac quippe impressione silent tum SS. Canonnes tum PP. testimonia) sed characterem aliquem externum, & honorificum, qui tonsuratos è statu sæculari extrahat & collocet in statu & conditione clericali, sicque sit signum distinctivum Clerici à Laico: & quòd immediatè subnectat, aliòve Ordines, non fieri comparationem aut æquiparationem tonsuræ cum Ordinibus in sensu stricto, sed in sensu latiori, quatenus indecens est, ut, qui vel Clericalem Ordinem, qui per tonsuram conferitur, vel alios & Sacramentales Ordines recipere cupit, dignum & idoneum antea se reddat.

Ad V. Resp. eadem ratione, quâ prima tonsura dicitur Ordo in sensu largiori, ejusdem quoque collationem vocari ordinationem: cæteroquin Pontificale Romanum aperte distinguit tonsuram ab Ordinibus, dum titulus de Clerico faciendò præmittitur, & deinde primùm substituuntur tituli de Ordinatione.

Ad VI. Resp. materiam & formam, in prima tonsura adhiberi solitam, nihil aliud præferre, quàm mutationem & transitum de statu laicali ad clericalem, vi cujus tonsuratus hominem veterem ac mundanum exuere, ac novum & spirituales induere tenetur; neque ullam specialem potestatem, ad ministerium altaris relatam, per tonsuram tribui: cum psalmos cantare non tantùm laicis ex n. 10. commune sit, sed etiam cum Altaris Sacramento nullam prorsus connexionem habeat.

QUÆSTIO II.

*An omnes Ordines, tum Majores, tum Minores, sint
Sacramentum?*

16 **S**acerdotium esse verum Sacramentum, à Christo Domino in ultima cæna institutum, de fide est, clarèque definitur in Sacra Synodo Trident. sess. 23. cap. 1. ibi: Sacrificium & Sacerdotium ita DEI ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni Lege extiterit. Cum igitur in novo Testamento Sanctum Eucharistia Sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile & externum Sacerdotium, in quod vetus translatus est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, as-

que Apostolis eorumque Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus & Sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi, & retinendi, sacra litera ostendunt, & Catholica Ecclesia traditio semper docuit.

Quid de Episcopatu sentiendum, & an ne dicendus sit Ordo distinctus adæquatè à Sacerdotio? Ventilatum invenies in hoc cap. à num. 43.

De Diaconatu & Sub-Diaconatu plerique conveniunt, utrumque esse Sacramentum: nam

nam quoad Diaconatum constat ex *Act. Apostol. cap. 6. & 9.* primos septem Diaconos fuisse ordinatos ab Apostolis per impositionem manuum, quâ alias conferuntur Sacramenta

19 & gratia Sacramentalis: quoad Sub-Diaconatum admodum luculenter innuit Concilium Florentium in *Decret. Eug. ubi*, dum deciditur, materiam Sacramenti Ordinis esse rem illam, quæ traditur ab Episcopo, statim subnectitur exemplum de Sacerdotio, Diaconatu, & Sub-Diaconatu: & præter hæc Concil. Trident. *sess. cap. 2.* aperte suffragatur in verb. non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacra litera apertam mentionem faciunt &c. & infra: *Sub-Diaconatus ad majores Ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur.*

21 Circa Minores Ordines, licet aliqui dissentiant, uti videre licet apud Clericatum de *Sacram. Ord. decis. 6. num. 19.* communiùs receptum est, omnes & singulos esse Sacramenta: tum quia Concil. Florent. *d. l.* ubi eorum materiam & formam indicat in verb. & similiter de aliis (id est quatuor Minoribus) per verum ad sua ministeria pertinentium assignationem; & paulò post: & sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano continetur: tum quia Concil. Trid. *d. sess. 23. cap. 2.* cum ait, inquit, Divina res sit tam Sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures & diversi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui

jam clericali Tonsurâ insigniti essent, per Minores ad Majores ascenderent &c. & statim infra: ab ipso Ecclesie initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Sub-Diaconi scilicet, Acolythy, Exorcista, Lectoris, & Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu: tum quia idem Concil. in *cap. 3.* mox generationem infert, cum Scriptura, inquit, testimoniò, Apostolicâ traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, qua verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem sancta Ecclesia Sacramentis: tum quia in *ead. l. can. 2.* si quis dixerit, ait, præter Sacerdotes non esse in Ecclesia Catholica alias Ordines, & Majores & Minores, per quos velut gradus quosdam ad Sacerdotium tendatur, anathema sit; uti etiam in *can. 3.* anathema in eum statuitur, qui dixerit, Ordinem sive sacram ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum.

Ne tamen ex hac Ordinum distincta varietate sequi putet Sacramentorum multiplicatam ultra septem, Theologi rem ita declarant, quòd Sacramentum Ordinis sit unum duntaxat Sacramentum unitate generis & finis, in quantum omnes Ordines ordinantur ad Sacrosanctam Eucharistiam administrandam, & ultimariò compleatur in Sacerdotio. Vid. Clericat. *d. decis. 6. num. 28. & seqq.* & Eximius P. Cherubinus Mayr de *Ordin. Hierarch. part. 2. dist. 1. cap. 6. num. 99.*

CAPUT II.

De Ministro, per quem Potestas Ordinis exercetur.

SUMMARIA.

1. Ab Episcopis censuratis, non-denuntiatis, licitè & validè recipiuntur Ordines. 2. & 3. Extravag. Martini V. non est in dubium erabenda. 4. Ordinati per simoniam sunt ab Ordinibus suspensè. 5. & seq. Abbates, etiam non-benedicti, ex privilegio possunt Ordines minores conferre. 7. & 8. De Novitiis & Oblatis, quòd nequeant à suis Abbatibus ordinari, refertur sententia Cardin. Petra. 9. Etsi gaudeant privilegio fori. 10. Alienis subditis validè saltem hi Ordines conferuntur. 11. & seq. Ex Delegations Pontificiis etiam simplex Sacerdos Ordinem Diaconatus

& Sub-Diaconatus conferre potest. 13. & seqq. Impugnatur privilegium Cisterciensium. 16. & seqq. Defenditur in ordine ad scopum nostram. 19. An subditi, non ordinati à proprio Episcopo, possunt appellare? Ratio dubitandi. 20. Arctatè ratione beneficii possunt appellare. 21. Alii nentiquam. 22. Nec illi, qui beneficium necdum actu obtinent. 23. Nisi beneficium sit pro certo ordine personarum. 24. An aliquis jam habeat Sub-Diaconatum. 25. & seq. Conceditur tamen gravatis recursus ad S. Congregationem. 17. Esto Regulares sint.



QUÆSTIO I.

Quid judicandum sit de Episcopis censuratis quoad Ordinum collationem?

1 DE his abundè discurremus in *præf. cap. à num. 26.* Quæ omnia confirmat Eminentiss. Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. tom. 1. pag. 306. à num. 27. & pag. seq. n. 32. & 33.* ubi nobiscum adducit Extravag. Martini V. ad evitanda scandala, cujus tenore non tantum validè sed etiam licitè & quoad usum quis ordinatur ab Episcopo suspenso vel excommunicato, si is publicè ut talis non fuerit declaratus; idque providè dispositum fuisse, advertit, ne prætextu simulato simoniæ vel alterius delicti proprios Episcopos subditi negligenter, ac de suis Pastoribus & Patribus Judices agerent. Et licet aliqui dubitaverint de dicta Extravaganti, quasi à D. Antonino in *summa part. 3. tit. 25. cap. 3.* primò illius mentio sit facta; attamen, ut

notat idem Petra, ejus legalitas comprobatur nedum ab innumeris Doctoribus, sed ab usu communi, Ecclesie consensu jam diu firmatò ac receptò. Suarez de *Censur. dist. 9. sect. 2. n. 5.* eamque Constitutionibus Synodialibus Dioecesis Pampelonenfis, jam Anno 1532. editis, insertam fuisse, perhibet noster P. Petrus de Murga in *Comment. ad Constit. Apostol. nominatim ad Constit. 6. & 2. Alexandri IV. num. 403.*

Limitandam verò hanc Extravag. merito judicat *cit. Petra pag. 309. n. 39.* in iis, qui Ordines ab Episcopo censurato, etiam non-declarato, simoniacè recipiunt: hos si quidem, cum delicti participes se faciant, ipsò jure ab Ordinibus suspensos esse, patet ex Extrav. cum detestabile 2. de Simonia inter cõmuni.

QUÆSTIO II.

An & qualiter Prelati Regulares possint conferre Ordines Minores?

5 MULTA quoad hunc articulum disputavimus in *hoc cap. à num. 50.* Igitur, ut nihil eorum repetamus, solum appendicis locò adjungimus I. Prælati Regularibus pe se loquendò jus conferendi Ordines Minores solummodò competere, quando sunt benedicti; ita tamen, ut si à Sede Apostolica privilegium acceperint, ea omnia faciendi, quæ possunt Abbates benedicti, suis subditis Regularibus Tonsuram & Ordines Minores conferre, aliaque Pontificalia in sui Ordinis Monasteriorum Ecclesiis & limitibus exercere valeant; prout à S. Congregatione Concilii resolutum, per Clementem VIII. Anno 1596. die 2. Augusti in forma Brevis in favorem Congregationis Benedictinæ Vallisoletanæ in Hispania confirmatum, & iterum Anno 1647. 16. Martii à Sacra Congregat. in Cathanen. & Panormitana, & recenter in Vratislav. Anno 1724. die 12. Febr. declaratum fuisse, refert Eminentiss. Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. tom. 5. pag. 314. num. 34.*

7 II. quoad Novitios ab eodem Eminentiss. Petra *tract. 1. pag. 338. num. 18.* illam opinionem veram censeri, quæ docet, eos à suis Abbatibus Ordines Minores recipere non posse ob decretum Clem. VIII. quod voluit, ut ordinandi sint subditi Regulares, quales non sunt Novitii ante professionem: cum Regulares dici nequeant, nisi Regulam pro-

fitentur; concordante Concil. Trident. *sess. 23. de Reformat. cap. 10.* ibi: qui Regularis sibi subditus non sit. Imò & Oblatis, qui licet gestent habitum Regularem, & in claustris sub obedientia Abbatis vivant, tamen solennia non emittunt, Ordines ab Abbatibus conferri non posse, concludit *cit. Petra num. 21.* quia ob defectum solennis professionis vel Regularis dici non possunt; adducens responsum S. Congregationis Concilii in una Mutinens. ordinat. die Anno 1689. die 14. Maji. Quòd verò tam Novitii quam Oblati gaudeant privilegiis Monasterii, fori, & exemptionis; id non provenire ex vi & virtute Regularis vitæ, sed ex qualitate personæ Ecclesiasticæ, quam acceperunt ex eo, quòd se dedicaverint Ecclesie, advertit mox allegat. Petra.

III. sententiam nostram, quâ Ordines Minores, quos Prelati Regulares alienis subditis conferunt, validè (non tamen licitè) collatos defendimus, sat certam esse, utpote jam aliquoties approbatam à Sacra Congregat. Concilii in *cit. Panormitana & Mutinens. nec non Colimbriens. 26. Junii 1655.* teste Eminentiss. Petra *tom. 5. pag. 317. num. 40.* semper enim atefata Congregat. respondit: promotos non indigere aliâ collatione dictorum Ordinum, sed absolutione, & rehabilitatione, à Sanctissimo obtinendâ.



QUÆSTIO III.

Possitne simplex Sacerdos ex indulto Pontificio habilitari ad conferendum Ordinem Sub-Diaconatus, vel Diaconatus?

- 11 **U**trumque affirmavi in hoc cap. num. 139. & seqq. In cujus quidem confirmationem quoad Ordinem Sub-Diaconatus existimat Clericatus de Sacram. Ordin. decis. 16. n. 17. deservire textum in cap. requisivit 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu, ubi Alexander III. interrogatus de valore Ordinum, collatorum ab Episcopo resignato, respondit: si à tali Ordines usque ad Sub-Diaconatum aliquis acceperit, eum in illis deservire posse: quia hujusmodi Ordines à non-Episcopis quandoque conferuntur. At mihi non videtur tutò applicandus hic textus: quippe qui de Sub-Diaconatu non loquitur inclusivè sed exclusivè, sicut patet tum ex verbis antecedentibus, ubi distinguitur inter Ordines sacros & minores; & ut subjunctum distinctionis membrum sibi cohæreat, non potest intelligi Sub-Diaconatus, tanquam Ordo Sacer; tum subsequenter, ubi dicitur, taliter ordinatum posse deservire in receptis Ordinibus, & ad majores, ad quos etiam reducitur Sub-Diaconatus, promovendi.
- 12 Quod tamen ipsemet in robur meæ assertionis in num. 141. assumpsi argumentum, petum à privilegio, Cisterciensibus concessò, fortiter impugnatur à præfato Clericato: partim quia nullus ex Authoribus, allegantibus dictum privilegium, refert, se vidisse illius originale & authenticum, prout conveniret in materia tam gravi & inusitata; cum tamen juxta cap. cum persona 7. de Privilegiis in 6. asserenti, se habere privilegium.
- 13 originali exhibuerit: partim quia, qui illud se legisse dicunt, allegant sumptum ex sumpto, quod de jure non probat, nisi transcriptum extrahatur cum solemnitatibus præscriptis in cap. fin. de Fide Instrum. Rota in rec. p. 18. decis. 84. n. 2. & decis. 345. num. 6.
- 14 partim quia, si talia privilegia unquam ante Concilium Trident. fuissent concessa, per il-

lud fuerunt revocata, nominatim sess. 23. de Refor. cap. 8. ubi præcipitur, ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur; & d. sess. 6. 10. in quo non permittitur Abbatibus nisi collatio Tonsuræ & quatuor Minorum Ordinum subditis suis Regularibus; & iterum cap. 12. ubi præcipitur Regularibus, ut non ordinentur ab Episcopis, nisi prævio ejus diligenti examine, privilegiis quibuscunque penitus exclusis, & non obstantibus consuetudinibus, seu præscriptionibus etiam immemorialibus.

Non diffiteor, hæc, quæ ex Clericato relata sunt, non carere suo pondere; ideòque nostram sententiam, si principaliter in allegato privilegio stabilita esset, non adeò de sua firmitate securam fore: quia verò in ejus probationem adductæ sunt aliæ rationes, & idem privilegium tantummodò allatum est in subsidium, & quidem ex ea suppositione, quòd juxta testimonium Authorum, omni exceptione majorum, reverà datum fuerit Cisterciensibus, satis adhuc tutà videtur. Et, quidquid sit, an omnia privilegia necessariò in originali ostendi debeant, cum sit. cap. cum persona 7. de Privilegiis in 6. tantum loquatur de privilegio exemptionis: saltem id erit concedendum, quòd, si per testes fide dignos probetur, privilegium in usu, & Cistercienses in ejus possessione constitutos esse, sicuti quidam attestantur, Cisterciensium Generalem Romæ Anno 1662. sciente & annuente Alexandro VII. subditos suos in Sub-Diaconos & Diaconos ordinasse; uti etiam Anno 1654. in Imperiali Monasterio Casariensi duos Diaconos ab eo promotos fuisse, copiam testimonii authentici producit P. Wex in sua Epitome p. 2. contr. 2. sub n. 60. ipsa originalis exhibitio cum tanto rigore non sit necessaria arg. cit. cap. cum persona 7.

Cæterum, quòd Tridentini Concilii decretis non fuerit abrogatum hoc privilegium, operosè ostendit cit. P. Wex à num. 34.

QUÆSTIO IV.

Possitne Episcopus suis subditis denegare Ordines? Et, casu quò, an illi possint appellare ad Superiorem?

19 **R**atio quærendi est: quia in Concilio Trident. sess. 21. de Reformat. cap. 2. videtur Episcoporum arbitrio relictum, an aliquem ordinare velint, nec ne, ibi: nisi illi, quos Episcopi judicaverint assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum; quod etiam relucet ex d. sess. cap. 16. ibi: cum nullus debeat ordinari, qui iudicio Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis &c. item ex sess. 14. de Reformat. cap. 1. ibi: cui assensus ad Sacros Or-

dines à suo Pralato ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus. Jam verò in causis, quæ remittuntur arbitrio & conscientiæ Episcoporum, cujus Scrutator est solus Deus, non dari appellationem, desumitur ex cap. ad aures 5. de Temporib. Ordin. & docet Glossa in cap. statutum 5. assessorum v. relinquantur de Reformat. in 6. Barb. in Collectan. ad cit. Concil. sess. 21. de Reformat. cap. 2. n. 54. & seqq.

Ve-

- 20 Verum non ita absolutè procedendum, sed distinguendum putat Eminentiſſ. Petra tom. 1. pag. 125. à num. 17. Refert nimirum, an, qui ad Ordines aspirat, sit arctatus, puta quòd beneficium habeat, cui sit annexus certus Ordo; vel non. In primo casu retinetur Episcopus, si nulla causa Canonica obstat, arctato Ordines conferre; & ubi hoc facere recusat, arctatus ad Superiorem appellare potest: utpote cum in effectu privetur beneficio, quod absque Ordine, intra tempus statutum non receptò, retinere nequit.
- In altero casu, veluti si quis, nullum beneficium habens, ad titulum patrimonii ordinari desideret, in arbitrio Episcopi juxta citatum textum Concilii Trident. situm est, an velit ipsum admittere, nec ne; datàque repulsà, denegatur appellatio ex dictis in num. 19. Addatur Cardinalis de Luca de Benefic. disc. 71. num. 3. & seq. & in Miscellan. Eccl. disc. 25. num. 9. & Pignatell. tom. 7. consult. 20. n. 4.
- Idem dicendum, quando quis, in nullo Ordine constitutus, tantummodò sperat consequi beneficium à Patrono; imò etiam, si Ordinem jam habens sit præsentatus à Patrono, nondum verò institutus, cum necdum jus certum obtineat, veluti cum Card. de Luca de Benefic. d. disc. 71. n. 10. & seq. observat cit. Card. Petra pag. 326.
- 21 n. 26. quamvis, si beneficium pro certo personarum genere sit fundatum, facilius appellationem permitti censeat; arctatis tamen in num. 25. etiam annumeret Sub-Diaconum, ad Diaconatum & Presbyteratum, veluti suum ultimum, aspirantem: neque enim conveniens est, ut, qui ad statum laicalem retrocedere nequit, à consecutione sui finis retardetur.
- 22 Nihilominus etiam non arctatis, in de-

festum appellationis, recursum ad Sacram. Congregat. Episcoporum & Regularium vel Concilii esse concedendum, eò effectu, ut Episcopus, non quidem ipsi recurrenti, sed Sacræ Congregationi propelet causam, denegatorum Ordinum, sentit idem Petra pag. 327. n. 39. & seqq. nam, quia arbitrium Episcopi non est planè voluntarium, sed limitatur à Jure, ejusmodi recursus non videtur esse præclusus. Card. de Luca cit. disc. 71. de Benefic. num. 5. & disc. 21. in Miscellan. n. 5.

Itaque respondit S. Congregatio Concilii in Rhem. cujus decretum refert præfatus Petra sub num. 44. hujus tenoris: cum nullus ordinari debeat, quem suus Episcopus suæ Ecclesie utilem aut necessarium non judicaverit: Congregatio non semel declaravit, ab hujusmodi iudicio nullam dari appellationem, sed recursum duntaxat ad Sedem Apostolicam, qua juxta ipsius Congregationis sententiam, per Gregorium XIII. fel. recordat. approbatam, quotiescunque Ordinarius recusaverit, quemquam ordinare, Metropolitanano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requiratur causam recusationis, quò legitimam non allegante, licet illi eundem recusatum ordinare.

Circa Regulares monet sæpe cit. Petra pag. 328. sub n. 44. in casu, quò denegatur ordinatio ab Episcopo, recurri ad S. Congregationem Episcoporum; & quando denegatur à proprio Superiore Regulari, recurri ad alios & majores Superiores, vel S. Congregationem Episcoporum & Regularium; & ubi non obstant perverſi mores, difficilem reddi justitiam denegatæ ordinationis: Regulares ordinantur ad titulum paupertatis; nec debent in statu simplici toto vitæ suæ tempore permanere, quando nullum impedimentum ipsos retardat.

CAPUT III.

De Subjecto, in quod Potestas Ordinis exercetur.

SUMMARIUM.

1. & seqq. Adducuntur ea, quæ circa qualitates ordinandi in Concilio Romano constituta sunt. 9. Regulares à proprio Episcopo sunt ordinandi. 10. & seqq. Qualis est ille, in cujus diocesi monasterium est situm. 12. Unde nequeunt ordinari ab Episcopo originis. 13. Licet ordinari possint ab Episcopo, in cujus diocesi habent beneficium saculare. 14. & 15. Attingitur casus, quò Regulares à quocunque Episcopo ordinari valent. 16. Præmissò examine quoad

doctrinam. 17. & seqq. Discutitur questio, an, qui literas dimissorias obtinuit ad Ordines majores, censeatur etiam dimissus quoad minores? 20. & seqq. Ostenditur ex Concilio Romano, à quonam Episcopo ordinari debeant, qui dispensationem aut privilegium impetrarunt, Ordines extra tempora suscipiendi? 23. & seqq. Explanatur dubium, an & qualiter aliquis cum dimissorialibus ab Episcopis Italis ordinari possit?

QUÆSTIO I.

Quibus qualitatibus ordinandi pollere debeant?

1 **S**cripsimus multa de his in toto hoc cap. præsertim sess. 1. Quia tamen in novissimo P. Schmier Supplem. Jurispr. Canonice Civ.

lmo Concilio Romano, à Sanctiss. D. N. Benedicto XIII. habitò, nonnulla continentur, in

in rem præsentem idonea; juvat ea, paucis adscribere. Nempè in tit. 6. cap. 1. de Scholaribus, ad primam Tonfuram admittendis, præcipit Episcopis, ut inquirent, an tales sint, qui probabile iudicium, non humano quidem consilio, aut fori secularis declinandi, vel à Laicalibus se muneribus & oneribus eximendi causâ, Ecclesiastica eos militia adscribi velle, præferant; sed tale ipsos vita genus eligere, ut juri Ecclesiæ servitio mancipati, majorem DEO cultum valeant exhibere. Caveant insuper, aut ulterius Pontifex, ne alios ad clericalem ipsam Tonfuram admittant, quam quos, juxta Tridentini Concilii sanctiones sess. 23. de Reforms. cap. 4. & 6. literarum studiis operam sic dare, confiterit, ut quasi in via ad reliquos Ordines suscipiendos versari videantur, & quos tantummodo pro Ecclesiarum necessitate vel utilitate Divinis Ministeriis deputari noverint expedire. Ultra hæc in cap. 2. mandat, ne Clericali Tonfurâ nullus initiatur, nisi eodem tempore Ecclesiæ illi adscribatur, pro cuius servitio debet ordinari. Si qui vero sus, etiam minoribus aut Sacris Ordinibus insigniti, qui nulli certa Ecclesiæ fuerint adscripti, Episcopi adscriptionem hujusmodi, etiam à suis Prædecessoribus omissam, suppleant, & pro arbitrio servitium totius, quoties opus fuerit, præstandum designent: quam adscriptionem quoad eos, qui jam promoti extra diocesim vel studiorum causâ, vel aliâ, ab Episcopis probatâ, commorantur, ad tempus ipsimet Episcopis bene visum differri posse, indulgetur. Ita autem adscripti, etiam Clerici sus, etiam conjugati, aut beneficia vel of-

QUÆSTIO II.

A quonam Episcopo Regulares sint ordinandi?

Regulares ab Episcopo proprio ordinandos esse, innuitur à Concilio Trid. in variis locis, signanter in sess. 7. cap. 11. & sess. 23. de Reforms. cap. 8. & 10. Quisnam autem sit proprius Regularium Episcopus? Ad mentem S. Congregationis Concilii, de Anno 1596. die 15. mensis Martii, à Clemente VIII. approbatam; confirmatamque tum à S. M. Innocentio XIII. in Bulla, quæ incipit, *Apostolici ministerii*, sub die 12. Maji 1723. tum à Sanctiss. D. N. Benedicto XIII. in nova constit. quæ incipit, in *supremo* sub die 23. Sept. 1725. & habetur in *Appendice* Concilii Romani pag. 220. & seqq. exponit Eminentiss. Petra cit. tom. 1. pag. 336. num. 8. quod nempè sit Episcopus, in cuius diocesi situm est Monasterium, cuius Regulares ordinandi membra existunt: ibi namque domicilium contrahere censentur, etiam si stabilitatem, sicut in Ordinibus Medicantium accidit, non habeant: utpote cum absque licentia Superiorum inde non possint amplius discedere arg. cap. cum nullus 3. §. Religiosi de Temporib. Ordin. in 6. Passerin. ad cap. hæc constitutio de Offic. & pot. Jud. deleg. eod. in 6. num. 27. Unde non possunt ordinari in loco originis: ex quo enim sæculo mortui dicuntur, nihil

facia Ecclesiastica non obtineant, ab Ecclesiæ servitio, cui fuerint deputati, festis diebus singulis, præsertim solenniioribus, adesse jubentur, propria ibi munia obituri; aliâs præcipitur, ut ad aliores gradus promovendi, non promoveantur, etiam promoti, Episcoporum arbitrio, pro obedientia gravitate multentur. Crescente vero contumacia, Episcopi ultra pœnas, à Tridentino Concilio (puta in d. sess. 23. cap. 6. & 16.) indictas, post trinam canonicam monitionem, contra inobedientes & contumaces procedere debent ad omnium usque privilegiorum Clericalium privationem &c. Insuper decernit in cap. 3. ut, qui propius ad Sacratissima Mystera accessuri sunt, ultra cetera requisita, eâ scientiâ polleant & pietate, ut Ecclesiæ Sacramenta digne ministrare, Christi fideles sanam doctrinam docere, & eos in via salutis non minus exemplis, quam verbis valeant anteire. Quapropter (concludit Sanctissimus) Episcopi non alios ad Sacros Ordines promovant, quam quos verè dignos, & habiles, requisita etiam habentes, à Sacra ipsa Tridentina Synodo d. sess. 23. cap. 13. & 14. præscripta, per diligentem inquisitionem compererint. Verum, qui ad Presbyteratum erunt assumendi, idocui prius ad Sacramenta ministranda per diligens examen comprobentur, & ad ea populum docendum, qua scire pervenit ad salutem; quod quidem, ut rectè præstari possit, eosdem Episcopos in Domino exhortatur, ut quantum fieri potest, eos tantum ad Sacerdotium assumant, quos saltem Theologia Liberalis competenter peritos agnoscant. Quæ quidem constitutio omnino salubris, & praxi donanda est.

amplius communis habent cum loco natiuitatis; prout concludit cit. Petra num. 9. & num. seq. rejicit sententiam contrariam Zypæi in Consultat. Canon. lib. 1. consultat. 3. utpote quæ cum allegata declaratione S. Congregationis, Pontificiâ oraculò roboratâ, componi non potest. Concedit tamen memoratus Petra num. 14. quod, si Regularis cum dispensatione Apostolica obtinuerit beneficium aliquod sæculare, ab Episcopo, in cuius diocesi beneficium existit, ordinari non prohibeatur: eò quod officiat versus beneficiatus, ac participet omnia consequentia, inter quæ est ordinatio ab Episcopo, cui beneficium subjacet, faciendâ. Porro in eadem declaratione S. Congregationis excipitur casus, si Diocesanus absuerit, vel non esset habiturus Ordinationem, vel Sedes Episcopalis vacaret: tunc enim Prælatus Regularis suo subdito potest concedere literas dimissorias ad quemcumque aliam Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines consulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quò Episcopus, Diocesanus, vel absurus, vel nullas habiturus esset Ordinationes. In hoc tamen casu à Superioribus

An, qui literas dimissorias obtinuit ad Sacras Ordines, &c. 83

bus Regularibus in literis dimissoriis hujusmodi causam absentia Diocesani Episcopi vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse, statuit eadem S. Congregatio. Petra cit. l. pag. 335. & seq. sub num. 5. Pignatell. tom. 1. consult. 390.

Interim, si Regularis ordinetur à Dioc-

cesano, siue ab alio Episcopo, nil aliud ab eo inquirei debere, quam doctrinam, cum in reliquis requisitis quoad ætatem & similia debeat stare attestationsi Regularium Superiorum, allegatâ rursus S. Congregationis resolutione, docet sæpe Card. Petra pag. 342. num. 42.

QUÆSTIO III.

An, qui literas dimissorias obtinuit ad Sacros Ordines, possit promoveri ad Ordines Minores, si eos nondum receperit?

Eminentiss. Petra, cujus incomparabilem doctrinam in omnibus impensè veneror, in Commentar. Apostol. tom. 3. pag. 141. n. 51. narat, cuidam Clerico, qui dimissorias obtinuit ad Ordines Sacros, nullâ de Minoribus factâ mentione, fuisse à Sacra Congreg. Concilii in Andegaven. 22. Junii 1707. permis-

sum, ut cum eisdem dimissoriis posset etiam ordinari in Minoribus: præsumi enim potest, quod, qui dimisit suum subditum ad Sacros Ordines, qui sine Minoribus conferri non possunt, dimiserit similiter ad Minores. Quamvis præfatus Auctor tutius esse censeat, in tali eventu ad eandem S. Congr. recurrere.

QUÆSTIO IV.

A quonam Episcopo ordinari debeant, qui dispensationem aut privilegia obtinuerunt, Ordines extra tempora suscipiendi?

Videtur quæstio clarè decisa in noviss. Concilio Romano tit. 5. cap. 1. tam in rubrica ibi: promovendi ad Sacros Ordines extra tempora vigore dispensationis Apostolicæ, non à quocunque, sed à proprio Episcopo ordinentur; quam in nigro ibi: singulis vero promovendorum expressè significamus, ut, si quis ipsorum Apostolicæ dispensationis literas, siue per Datariam, siue per Brevium Secretariam, siue aliò quocunque modo expeditas, quatenus ad Sacros Ordines extra consueta Ordinationum tempora à quocunque maluerit

Catholico Episcopo promoveri valeat, obtinuerit, illas semper, non nisi cum clausula, servatâ formâ decreti Clementis VIII. concessas fuisse intelligat, atque ita, & non aliter executioni ab ipsimet Episcopis promoventibus demandandas fore, declaramus. Hoc verò decretum non est aliud, quam supra in num. 10. & 14. allegatum, quod, ne quem Superiorum exenset illius ignorantia, ad verbum subiungendum attestatus Pontifex Benedictus XIII. decrevit in eod. Concil. Rom. tit. 21. de Regular. c. 2.

QUÆSTIO V.

An, & qualiter aliquis cum dimissorialibus ab Episcopis Italis ordinari possit?

Bonifacius VIII. in cap. sæpe contingit 1. de Tempor. Ordin. in 6. eumque secutus Pius II. in sua constitutione, quæ incipit: cum ex Sacrorum, datâ die 17. Novembr. 1460. providè ordinârunt, quod ultramontani, etiam si ab Ordinariis suis habeant literas dimissorias, nequeant tamen ab Episcopis Italiæ ordinari, nisi licentia Summi Pontificis aut Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium accesserit. Voluerunt scilicet obviare multorum fraudibus, qui fictas dimissorias à longinquis regionibus detulerunt ad Episcopos Italiæ, & sic Ordines, absque vera Ordinariorum suorum concessione,

impetrârunt. Sub hoc tamen decreto non comprehendi Regulares, utpote de quibus expressa mentio non fit, ab eadem Sacra Congregatione in una Neapolitana 30. Decemb. 1617. declaratum ex Barbosa refert Eminentiss. Petra Commentar. ad Constit. Apostol. tom. 5. pag. 275. num. 76. Constituit etiam Clemens VIII. Anno 1603. firmavitque Alexander VII. Anno 1654. quod commorantes in Urbe nequeant ordinari extra Urbem cum literis dimissoriis proprii Ordinarii, sed literæ sint præsentandæ Cardinali Urbis Vicario, atque ab eo Ordines recipiendi. Petra d. l. n. 78.

